

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
1014

1012

1018

1008

1023

1003

1063

0963

1113

0913

0513

0013

Ende

Anfang

441

Hinischenam. Porro montes ab utraque parte vallem claudentes sunt altissimi saxe et coloris rubei et videbantur, quasi essent oleo inuncti, ita dabant resplendentiam in locis, ubi radii solis rupes tangebant, unde ex ammiratione accessi ad unam parietem rupis, quae videbatur a longe oleo humectata, et manu experientiam accepi, nihil humidum ibi esse, sed ex nimia petrarum limpeditate illam resplendentiam lapidibus accidere, sicut patet in politis lapidibus.

Circa meridiem vidimus in montis cujusdam cacumine bestiam stare, quae contra nos deorsum respiciebat. Nos vero hanc videntes aestimavimus esse camelum et mirabamur, quomodo camelus in solitudine viveret et, verbum inter nos ortum est, an etiam cameli silvestres reperirentur? Calinus autem ad nos accessit, bestiam illam rhinocerotem vel unicornu esse asseruit, demonstrans nobis unicum ejus cornu de fronte ejus procedens. Cum magna diligentia hanc nobilissimam bestiam respeximus et vehementer dolebamus, quod non proximior nobis fuit, ut magis determinate eam inspexissemus. Est enim bestia haec singularissima in multis conditionibus: in primis dicitur, quod sit bestia saevissima et unum cornu quatuor pedum habet in medio frontis ita acutum et validum, ut quidquid petierit aut ventilet, aut perforet eumque [idque] ad saxa limat, et est mirifici splendoris et ossa de illo cornu cum gemmis pretiosissimis computantur et auro ac argento includuntur; (**40a**) tantae est fortitudinis, ut nulla venatorum arte aut virtute capiatur, sed, sicut asserunt, qui de naturis rerum scripserunt, virgo puella proponitur, quae occurrenti sinum aperit, in quo ille omni ferocitate deposita caput ponit sive soporatus velut inermis capiatur et interimatur jaculis venatorum. Si autem omnino vivus captus fuerit, teneri non potest impatiens, et si vi teneatur, illico prae tristitia moritur, quia animal indomabile est. Tam fortis est, ut Scriptura sacra Num. 23. Dei fortitudinem ei comparet; et ita indomabilis, ut Job 39. dicatur: numquam alligabitur ad arandum rhinocerontem loro tuo etc. Et David in libro psalmorum de unicornu loquitur in bona significatione et in mala. Est enim animal magnum, equino corpore, elephantinis pedibus, cauda suilla, buxei coloris, mugitu horridum, bellum habet

